



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 1. In genere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

TITULUS XIX.

SERMONES.

§. I.

In genere.

Sermo fructus est cogitationis. Clem. Alex. pædag. l. 2. 5.

Qualis sermo, talis est vita: arbor autem cognoscitur ex fructibus; non ex floribus, & foliis, ac ramis. Idem l. 3. Stromat.

§. II.

*Sermones boni, spirituales.**Ex Veteri.*

Non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram. 1. Reg. 3. 19. Id est, non loquebatur de terrenis; sed tantum de cælestibus. Hugo Card. hic.

Vena vitæ os justî. Prov. 10. 11. Os justî est vena, & fons vitæ: quia jugiter eructat verba vitalia, quæ audientibus aspirant vitam gratiæ. Docet enim eos rectè vivere, ut à Deo vitam beatam, & æternam, consequantur. Cornelius hic.

Vulnerâsti cor meum in uno oculorum tuorum. Cant. 4. 9. Alter eorum, qui divina contemplatur, qui philosophatur de Deo, qui recondita mysteria contuetur, cor meum stupore afficit. B. Theodoretus hic.

Butyrum, & mel, comedit. II. 7. 15. Origenes hom. 2. in II. Emmanuel butyrum & mel, manducat; & querit ab unoquoque nostrum butyrum manducare. Opera nostra dulcia, sermones nostri suavissimi, & utiles, mella sunt, quæ manducat Emmanuel. Sivero sermones nostri amaritudine pleni sunt, irâ & turpiliquio, contentione, dedit in os meum fel; & non comedit ab his sermonibus Saluator. apud Cornelium hic.

Ex Novo.

Si oculus tuus dexter &c. Matth. 5. 29. In tanto cruore perstat lingua incruenta. In illis membris, teste Hieronymo, impii amici designantur. Quod si quis vice linguæ fungatur, & offendiculo sit; erui Dominus non jubet. Ea enim est divinorum eloquiorum utilitas; ut, qui sanctè loquitur, licet non sanctè agat, licet in lapsum te videatur gestis nefariis impellere; erecturus te tamen sit è luto in cælum, sanctorum machinis verborum. Oliva l. 3. Strom. §. Qui sunt hi sermones.

Ubi duo, vel tres, &c. Matth. 18. 20. Similitudo est ratio attractionis, seu conjunctionis. Modò videamus, quam similitudinem habet Christus cum verbis spiritualibus. Dico, quod magnam: quia ipse est verbum, non corporale, nec transitorium; sed spirituale, & æternum. Si ergo simile attrahitur à suo simili, cum Christus sit verbum spirituale, rationa-

biliter trahitur, & retinetur à loquentibus verba spiritualia. Sanct. Vincent. Ferr. l. 2. fer. 2. Pasch.

Qui sunt hi sermones, quos confertis ad in vicem? de Jesu Nazareno. Luc. 24. 17. Mira res! semen Jesu Nazareni, est sermo de Jesu Nazareno. Adè abesse non potest Dei Verbum à Verbo Dei: ut, licet fides peregrinorum vacillaret; comitem se tamen viæ obtulerit colloquentibus de se. Magdalena quàm diu luxit, ut Jesum attraheret? hi, ut locuti sunt, gavisi. Quid? quod lugenti Magdalene attactum pedum suorum negavit. Joan. 20. 17. loquentibus verò Discipulis non modò non interdixit osculum pedis, sed totum obtulit corpus. Adè ei etiàm, quæ dilexit multum, quæ multum flevit, quæ stetit, ad crucem, quæ aderat sepulchro; Discipuli duo profugi, & dubii, anteferuntur; quod de Domino colloquantur. Oliva l. 3. Strom. §. Qui sunt hi sermones.

Ex Patribus, & aliis.

Proximus est innocentie, qui Sanctorum meretur colloquia. Ennodius l. 3. ep. 4.

Et oculos, & os, & auditum, propterea posuit in nobis Deus; ut omnia ipsi membra servirent: ut, quæ ipsius sunt, audiamus; quæ ipsius, loquamur, quæ ipsius, semper operemur; eique laudes canamus assiduas, & gratias per cuncta referamus. Sanct. Chrysol. hom. 2. in Matth. 1.

Deò ità disponente, accidit, ut ego, & ipsa (Mater mea) soli staremus incumbentes ad fenestram, unde prospectus ad hortum. Colloquebamur ergo soli valde dulciter; & præteritorum oblii, quærebamus inter nos: qualis futura esset vita æterna Sanctorum, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Dicebamus talia, etsi non istò modò, & his verbis; tamen, Domine tu scis, quod illò die, cum talia loqueremur; & Mundus iste nobis inter verba vilesceret, cum omnibus delectationibus suis. S. August. Confess. l. 1. c. 10.

Ut pyxides cinamomò plenæ, vel sacculi Præstans rosis turgidi, cum primum aperiuntur, odorem spirant suavem: sic animus Deò plenus DEUM, & divina, loquitur. Drexelius Orb. Phaet. c. 54. §. 1.

Florentio Episcopo Paulinus ep. 30. dicebat: sermo tuus expressit nobis saporem gratiæ, quæ tibi data est; & de stillicidiis labiorum tuorum gustavimus, quàm suavis sit in te Dominus.

Quamquam propositiones vestræ totum tempus nocturnæ quietis ità nostris furentur obtutibus, ut appropinquantis auroræ nequam viciniam sentiamus &c. Cassianus Coll. 7. Sereni Abb. c. 34.

§. III.